7

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
De
AFFECTIBVS PERIODICIS,

QVAM

DEO BENEDICENTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDER. WILHELMO,
REGNI BORVSSICI HEREDE E.R.
&c. &c. &c.

EX DECRETO FACVLTATIS MEDICAE

SVB PRAESIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
D. ET PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT. h. t. DECANI.
FAVTORIS SVI AESTVMATISSIMI,

PRO LICENTIA

Iura & Priuilegia Doctoralia in arte Medica
legitime consequendi,
Ad d. Mai. MDCCII hora locoque consuetis
publico examini submittit
CHRISTIANVS SIGISMVNDVS Richter.

Typis Orphanotrophii Glaucha-Halensis



PROOEMIVM.



Laudabilis omnino fuit illa antiquorum Medicorum intentio & est hodieque Practicorum verorum, quotquot rerum suarum, pro conscientiæ suæ solatio, satagunt, vt Dogmaticam medicæ artis rationem quærant, qua causas aliquas, veras, & ratione sibi constante percipiendas illarum rerum non saltem deprehendere allaborant, quæ ipso facto, constanti præsertim experientia obseruationi attentæ occurrunt; sed etiam nexum & mutuam habitudinem, tum harum causarum inter se inuicem, tum respectus illarum ad illos effectus, quos experientia monstrat, euoluere conantur. Videt interim & intelligit quilibet, quod pro hoc negocio feliciter in effectum deducendo, ante omnia necessaria sit. (1) Experientia, sufficiens videlicet notitia, quomodo sese negotium in ipsa veritate facti habeat: ne falsis suppositionibus & opinionibus in hac parte indulgendo, rei fictæ, necessario quoque sola fictione causæ deinde assignandæ veniant. 2. Ratio, satis exercitata atque subsidiis debitis ad legitime subsumendum recte instructa; vt nonsolum a scopo non grauiter aberretur: sed etiam offendiculum illud communissimum

euitetur, quo res obſcuræ, per æque obſcurum, res in facto certæ per ſuppoſitiones plane incertas, imo res, per ſola ſterilia vocabula, nullum abſolute rationalem conceptum circa res materiales inferentia, loco explicationum, intricentur, aut idem per idem, petitione principii, vt vocant, explicandum ſuſcipiatur; cuius rei ſpecimen luculentisſimum ſunt ſpiritus, & illis asſignatæ actiones motrices, propter ipſorum huic fini ſuppoſitam ſummam mobilitatem inſitam atque propriam: Et hæc omnia actione pure independente, ſine vllo vel nexu, vel plane reſpectu cum anima, cui corpus dicatum eſt & vnice ſeruit. Ne in ſterilem hunc agrum temere falcem mittamus, non placet multis exemplis hic prolixum eſſe, quandoquidem illa mediocriter in Theoria Medica occupato, nedum verſato, ſi modo rationem leuiter cultam habeat, non poſſunt non obuiam ſeſe dare; ſed ſuffecerit duorum ſaltem, præcipuorum exemplorum mentionem feciſſe, quæ ſunt (1) abſoluta illa, & non præſentiſſima, ſed abſolute Synchrona, grauis mutatio actuum ſpiritibus attributorum, in negociis vitalibus, a fictionibus nudis ſiue entibus rationis abſolutis; Et quidem tales mutationes, quæ non generaliter, ab aliqua agitatione vehementiore ſpirituum, per actus illos rationis tunc exagitatorum, vlla veri ſimilitudine deduci poſſint; ſed penitus in vitalibus negociis talem ſcopum ſequantur, proſequantur, imo ſubinde exequantur, qualem ſcopum tunc temporis ratio, in ſuo, rationali, inquam, negocio, manifeſtius formauit, & quoquo modo proſequi aut exequi, vel tendit, vel ad minimum probabilisſime intendit. (2) Adminiſtrationes atque adaptationes vitalium actuum, ſecundum menſuras temporis, imprimis cum patheticis illis rationalibus incitamentis mirum quam exquiſitiſſime conſentientes. Quæ quidem res, temporis periodis, inquam,


vel-

velut addictæ alterationes in œconomia corporis, cum in praxi medica immensum quantũ considerationis mereantur,& longe maximæ sit non magis energiæ,quam frequentiæ; dignissima nobis visa est,cuius aliquã perlustrationẽ,speciminis Inauguralis loco tentaremus. Vbi quidẽ,quamuis illa linguæ promtitudine non simus, vt vel reliqua pleraque in Medicina, vel hoc exquisitum & magni momenti phænomenum Physico-Medicum, reuera sine omni dubitatione clarum atque planum reddere in nos recipiamus; Ex receptis v. & solennibus opinionibus Physico-Medicis tale quiddam audere, quam diu sanam mentem diuina bonitas nobis largitur, facile cauerimus: Ita non desperamus tamen in medium afferre aliqua talia, quæ non modo circa ipsam veritatem historiæ, experientiæ testimonium habeant; sed etiam circa conspicuum nexum rationalem, contra bonæ subsumtionis regulas non hallucinentur; quæ sane duo requisita, in hodierno doctrinæ medicæ statu, speramus sufficere posse. Agemus itaque, bono cum Deo, de AFFECTIBVS PERIODICIS. Veneramur autem Diuinam benedictionem humillimis precibus, vt conaminibus nostris benignissime præesse velit, & illa ad vtilitatem aliquam artis atque studii medici dirigere paterne dignetur.



CAPVT PRIMVM.

De PERIODO, EIVSQVE INDOLE, INPRIMIS MEDICO SENSV.



SVnt quidem *Periodi* acceptiones, etiam alias ſatis notæ, quod ipſum etiam nobis occaſionem præbet, vt prolixos eſſe circa hanc expoſitionem tanto minus neceſſarium ducamus; Interim quia famoſiore acceptione Medica in aliquibus caſibus, *Periodi* nomen paulo ſtrictius, & cum contradiſtinctione aliqua alterius ibidem vna concurrentis alternationis, vſurpatur, placet, imo opus eſt, hanc conſiderationem proponere.

Deſignat videlicet in genere *Periodus*, etiam nuda vi nominis, *circuitum* ſiue *ambitum* talem, quo *ſpatium* aliquod temporis, aut *quantitas* aliqua agendæ rei, perficitur & veluti ad finem perducitur; vt quibuscunque aliis *ſucceſſibus*, æquus pateat locus: Adeoque præſens *res*, aut *temporis* portio, tam ab *antecedentibus*, quam *ſubſequentibus*, hac ratione veluti *diſtinguatur* atque *ſeparetur*.

Et hoc quidem valet ita, de periodo *vna*, *ſingulariter* ſumpta. Periodi vero, numero *plures*, inferunt tanto magis huiusmodi, non ſolum manifeſtum, & plus minus determinatum, diſcrimen; Vt videlicet nonſolum *quælibet* peri-

periodus, habeat aliquam, plus minus *definitam*, actionis atque durationis *mensuram*: Sed habeat etiam, in ordine atque comparatione ad reliquas, numero nempe *plures*, certum respectum, tum in hisce modo dictis circumstantiis, tum in *ordine*, *mensura*, *numero*, intercurrentis temporis, & actionum aut passionum.

Hac nimirum ratione emergit *duplex* respectus rerum periodicarum; Vt nempe (1) magis veluti *absolute*, in se, & *sigillatim* consideratæ, certa aliqua circumscriptione gaudeant, adeoque reuera periodum aliquam agnoscant, *vnam* nempe, *propriam*, absolutam: (2) *Respectiue* vero, & in ordine ad alios *succedentes* similes actus, comparando, *periodicum* dicatur, quod nonsolum *vnam* huiusmodi *mensuram* actionis atque durationis præ se se fert: Sed etiam quasi *solenniter*, & ex indole sua, talibus *recursibus* gaudet, vt non satis ipsi sit semel adfuisse, sed etiam datis quibuscunque occasionibus, denuo emergat, & actum suum instauret.

Hæc periodicarum rerum indoles, quemadmodum in genere non ignota est aut insolita; Ita in *Medicina* multis exemplis sese sistit, & occurrit in quotidiana Praxi: Vnde vtique tanto magis considerari meretur.

Sicut autem, per dicta, Periodi essentiam respicit *ambitus*, quem nomen eius designat, circumscriptio, complexus, *mensura*; Ita occurrit huius durationis ab initio ad finem veluti definita *terminatio* & secundum mensuram *minus* aut *magis* restricta: Id est, vel *indefinitam* durationem habet: vel magis *exactam*, numero dierum, & exactis successibus actionum, inclusam, *symmetriam*, tam successus & progressus, quam exitus sui, monstrat.

Valet hoc *posterius*, imo vero sano sensu etiam vtrumque, nonsolum de periodo *singulari* & in se considerata, numero *vna*; Sed etiam de *pluribus*, earumque ad & inter se inui-

inuicem comparatione: Vt videlicet, ſicuti *ſtatum* tempus & ordinem exhibent periodi *ſingulares* variæ: Ita etiam periodi ſociæ, recurrentes, plures, vel ſumunt occaſionem redeundi, magis *vagam*, & *contingentibus* prouocationibus reſpondentem: Vel ſeruant magis exquiſite *ſtatas* atque *definitas* veluti leges, vt determinatis *temporibus*, ſolennibus atque conſtantibus *progreſſibus*, & ſolito atque in hoc genere velut *vſitato* exitu, abſoluantur.

Et harum quidem, *ſtatarum* inquam, periodorum *pluralium*, ſicut in Pathologia Clinica & obſeruatione hiſtorica Medica, locuples eſt prouentus; Ita tanto maiorem vtique atque circumſpectiorem, theoriam, conſiderationem inquam atque penſitationem merentur. Tanto certe magis quanto minus adhuc, tum in theoria, imprimis hodierna, tractata hæc eſt aut euoluta; Siquidem vel ipſa *hiſtoria* talium rerum vix pro dignitate ſufficienter conquiſita occurrit: Tum in praxi, minus luculenter agnita huiusmodi conſtitutionis energia, & *Prognoſin* ſubinde fallit atque fruſtratur; Et *methodum*, tam generaliorem *medendi*, quam ſpecialiorem *exhibendi* medicamenta, & commode atque conuenienter ſibi inuicem *ſubordinandi*, veluti deſtituit: Vnde præpoſtera adminiſtratione medicationum, morbo & ægro male conſulitur: Cumprimis per medicamenta & medicationes efficaciæ præſentioris: Vel per *placidiora* talia, in rei veritate, adeo parum, aut nihil potius, ex parte medici ægro ſubuenitur, vt ſi res veracius ad bonæ conſcientiæ normam æſtimetur, frequentiſſime nihil minus in talibus caſibus Medico bona fide debeatur, quam Soſtrum.

Huic differentiæ generaliori atque communiori, *periodorum*, vt *ſpecialiorem*, *Medico* foro magis veluti propriam, ſubiungamus, notandum eſt, quod valde *breues periodi* affectuum, nonſolum *ſingulares*, ſed etiam *pluralitatem* ali-

quam

quam veluti essentialem seruantes, in scholis medicis non tam *periodi*, quam *Paroxysmi* nomine, salutari soleant: Vnde quidem in *Febribus*, vbi *pluralium* talium, & *statarum* quidem commotionum, imprimis solennia sunt exempla, *paroxysmorum* & *periodi* appellatio, diuersis horum affectuum actibus atque respectibus ita conuenit atque adhibetur, vt *paroxysmi* quidem appellentur, *insultus* illi, modo quotidie, modo interpositis etiam diebus, se inuicem *subsequentes*: *Periodus* autem vocetur *tota* illa, definita tamen, *duratio*, quæ ab initio ad finem, *totam* febrem, & ipsos adeo *paroxysmos*, comprehendit, ac veluti terminare debet, cuiusmodi in *acutis*, est duratio per *septenos*, etiam secundo, quin tertio repetitos, dies.

Periodorum vero *pluralium* distinctio, respicit ita, tum *durationem*, tum *reuersionem* huiusmodi affectuum, vt vel *longis*, vel *breuibus* spatiis; *certis* atque *ordine* definito determinatis progressibus, aut *secus*; *statis* tandem atque exquisita *mensura* comprehensis temporibus, aut *minus*, adstringantur.

Inter eiusmodi affectus, sunt iterum, & occurrunt interdum, qui in *omnibus* hisce modo dictis rebus conspirantem quendam ordinem seruant; id est, *certo temporis* numero reuertantur, prorsus eundem *progressum* seu typum referant, certam quoque *durationem* obseruent: Interim occurrunt etiam, & illi quidem propemodum frequentiores, tales affectus, qui in *vna* aliqua iam dictarum classium, reuera *statum* quiddam atque exquisite determinatum retineant; in *altera* vero vel nihil tale sequantur, vel sane facili admodum negotio, & ab occasionibus etiam *leuioribus*, & quod loquntur, ex *accidenti*, nimis quam promte, ordinem atque mensuram illius sui respectus dimittant atque temerent: Vt videlicet v. g. *stato* quidem *tempore* exquisite,

reuertantur, adeoque periodum reſpectiuam atque *mutuam* ſeruent; Quando vero redierunt, *decurſus* ſui *proprii* rationem, non æque eandem vti prius, aut alias ſæpius, exhibeant, ſed tum aliis circumſtantiis, tum duratione ſui, aliter quam prioribus vicibus ſeſe gerant.

CAPVT II.
De PERIODICIS CONDITIONIBVS IN CORPORE OCCVRRENTIBVS, ſ. & p. n.

CVm Diſputationis noſtræ titulus, indigitet *Affectus* periodicos, primario quidem, conſueta *Medica* vocis acceptione, *affectus p. n.* deſignare intelligemur; Cum vero etiam non ita pauca *ſ. n.* in corpore *periodice* fiant, nemo credo ſiniſtre interpretabitur, ſi illorum etiam hiſtoriam attingamus. Seruabimus tamen hic etiam, eum ordinem, vt a *generalioribus* ad *ſpecialiora*, & ab iis, quæ *ſecundum naturam* fiunt, ad *p. n.* obtingentia, progrediamur.

Ante omnia vero generaliſſime & breuiſſime notamus, quod illa, quæ in corpore humano, proprie periodis expoſita ſunt, imprimis ſint de *Motuum* cenſu: *Materiæ* vero, eiusque euidentis generationis aut *prouentus*, *tempora* vtique exiſtant atque requirantur; Nullæ vero eius indolis aut ſenſus, de quibus nos loquimur, *periodi*: Exemplum patet in *ſanguine menſtruo*, *lochiis*, *lacte*, *ſpermate maſculino* &c.

Porro, ratione temporis, notanda venit periodorum humano corpori euenientium habitus, vt vel *diebus*, vel *men-*

menſibus circumſcriptæ, (quamuis eius rei alia videatur ratio, non abludente interim etiam proprie menſtruo tempore) vel *æquinoctiales*, *germinales*, *ſolſtitiales*, *meteoricæ*, *thermometricæ*, *annuæ*, aut *ætatum* quaſi *climactericæ*, exiſtant: Tandem vero, & illæ quidem admodum familiares, *Patheticæ*. Omnia vero hæc, quæ ſæpenumero periodorum etiam veluti *termini*, *radices*, *incitamenta*, apparent, habent præterea maximam vim in conditiones internas periodorum, vt ita dicam *peregrinarum*: Id eſt, ſi periodi in modo dictas circumſtantias incidunt v.g. in *tempeſtates*, *æquinoctia*, *germinationis* viciſſitudines, animi *pathemata*, ex alia quacunque, quam ipſarum harum rerum cauſalitate atque efficacia, ibi, licet hæ circumſtantiæ periodum præſentem non *produxerint* aut ſuſcitauerint, alterant tamen eandem eximie: Et rariuſcule quidem in *melius*, ſæpius in *peius*.

In ſtatu quidem ſ. n. quæ manifeſtius occurrunt *periodicæ* mutationes, ſunt *natiuitatis* humanæ, *dentitionis*, *pubertatis*, *auctionis* corporis in longum & laxum ceſſantis; & tandem etiam in *ſolidum*, deſinentis: vltimo, energiæ *generandi* ceſſantis, imo *virium* corporis, manifeſtiſſime poſt hac in vtroque ſexu euaneſcentium. Quibus rebus accenſeri poteſt, communiter non minus ſtata proruptio *lactis* in mammas puerperarum, & *menſtruus* circuitus depletionis ſanguinis in hoc ſexu.

P. n. vero euidentisſimæ periodi eueniunt in negotio *Febrium*; Vbi periodi *breuioribus* cancellis, *dierum*, circumſcribuntur. Imo vero, quamuis vocabulo diſcerni ſoleant, a reliqua periodorum tribu, cum tamen ipſa re exquiſite *periodicum* quiddam ſint, *paroxyſmi* febriles, præbent *periodicæ* indolis exemplar magis, quam exemplum; vbi *pauciſſimorum* dierum, imo ſubinde *horarum* circuitu, recurrentes *noui* eximii motus, *ſtato* frequentiſſimæ inuaſionis tempore, reuertuntur.

 Sta-

Statis interdum *horis*, interdum *diebus*, interdum *septimanis*; sæpius statis *lunæ* mutationibus, eueniunt recursus affectuum *Conuulsiuorum*.

Non absimili, excepta *plurium* dierum aut horarum, mensura, recurrunt subinde eruptiones *sanguinis*; frequentius *hæmorrhoidales*, rarius aliquando *hæmoptyicæ*: Quibus accensendæ longioribus interuallis recursantes *abortiuæ*.

Longioribus spatiis, frequenter tamen ipsis etiam *Periodicis*, generaliore circuitu, exserunt sese insultus *Arthritici*; Specialissime vero *fixiores*, extremitatum, *Chiragrici*, *Podagrici*.

Æmulantur interdum, non raro vero sequuntur *Periodos*, *pectoris* affectus, infarctus, *Tusses*; Exquisitissime omnium, *asthmata conuulsiua*, præsertim si breuiore tempore recrudescant.

Eueniunt *Periodice*, congestiones & irruptiones etiam *Erysipelatodes*, *Phlegmonodes*, *Rheumaticæ*, *Hemicranicæ*, *Hemicranico-Opthalmicæ* & *Odontalgicæ* &c. Ita succurrit nobis exemplũ Reuerendi viri adhuc vegetioris, infra trigesimum annum, laboriosi tamen, vigilantis, assidui officii; cui *Erisipelatodes* congestio sinistram faciei partem inuaserat, cum *Hemicranico-Odontalgico* vehementi dolore. Cum tumor denique superueniens, inter varia adhibita topica, tandem post bene multos dies, *suppurationem* ostenderet, adeoque denique scalpello apertus, languide tandem ad consolidationem perueniret; Adeoque tota hæc passio, per tempus bene longum, ancipiti successu tolerata fuisset: *Vertente anno*, circiter iisdem diebus, quibus prior insultus inuaserat, cum sensibili impetu recruduit illo etiam anno, ille idem eiusdem pertinaciæ, successus, atque exitus, affectus. Simile quid, de *annua* Periodo, eundem, aut secundum ad summum ab illo, diem seruante, in *Hæmoptyica* eruptione, non alte-

altero ſolum, ſed tertio etiam anno, in recente obſeruatione atque memoria habemus.

Poſt *plures* etiam *annos* recurrentium affectuum exempla, occurrunt hic illic apud Autores; Sed inter hæc admodum notatu dignum illud apud *Hildanum*, de ſymptomatibus grauibus, a morſu canis rabidi, in *ſeptenos* annos denuo deprehenſis. Sicut alias de perſona altioris proſapiæ relatum meminimus, quod certi numeri annis, plane ſpecialem animi diſpoſitionem, per integrum annum exhibere obſeruata ſit ad res morales atque theologicas; a quibus, reliquis intercedentibus annis, ita alienior erat, vt hi tranquilliores, pro lucidis quibusdam interuallis habendi viderentur.

Quid, quod in ipſis *hereditariis* diſpoſitionibus, non raro exempla talia occurrant, vt liberi, paſſiones a parentibus ad ipſos deuolutas, illis maxime *ætatis* ſuæ *annis*, grauius perſentiſcere incipiant, quibus parentes iisdem infeſtari cœperant; quale quid de paſſione Iſchiadica, e domeſtica experientia obſeruat D. D. Præſes: dum filius, illis ætatis annis, nempe 41. 42. 43. demum manifeſtiores, & immitiores huius affectus inſultus experiri cœpit, quibus B. parens, hoc eodem pathemate primo infeſtari cœperat, & ipſe filius, ſub illa eadem tempora genitus fuerat.

Quid *Ætatum* periodi poſſint, ad affectus *recurſui* alias aptos, & horum primores, *hæmorrhagicos*; & quomodo hinc prognaſcantur affectus, *generice* quidem omni, ætati communes, *ſpecifice* vero *certæ* cuique ætati proprii cum latius & ex propoſito demonſtratum ſit, in diſſertatione de *Morborum ætatum fundamentis*, hic prolixius repetere non neceſſarium arbitramur.

Supereſſet, de *periodo vitæ*, aliqua dicere; Quatenus videlicet non ſolum vita *collectim* ſumpta, vniuerſa ſua duratione

tione, ambitum & exitum vtique habet: Sed etiam duratione huius per indiuidua, vti ſatis notum eſt, differt: Sicut etiam obſeruatio illa, vel ſecundum alios ad minimum traditio, de periodis *climactericis* huc trahi debere apparet: Verum enim vero, cum huius rei obſcuriora ſint fundamenta, quam vt breuibus expediri poſſent: Non placet, niſi nudi facti *hiſtorice* mentionem inieciſſe. Tanto magis, cum ſatis nota ſit res, hominem mori; ſicuti ſimul certisſima eius rei ratio, illa, quam reddit *Seneca*, ſcite prorſus atque elegenter, pro ſuo more, inquiens: *Morieris, non quia ægrotas, ſed quia viuis; iſta te calamitas etiam* (ſemel iterumque a diuerſis grauiſſimis morbis) *ſanatum, manet.*

De vulgi vero perſuaſione in hoc genere, de hominibus amplo ſiue elato corde vel pectore, inſtructis, periodum moriendi duplicem habentibus, **Leütthe die ein ſolches hohes Hertze haben / ſtürben zweymahl**: quod explicant de præſentaneo mortis periculo, imo morte reuera inſtante, ſed denuo ad *alteram periodum* differenda: Annumerandum vtique eſt illis oraculis libellorum *Planetariorum*, vbi de homine, hoc illo *menſe*, *ſigno*, *planeta*, regnantibus, nato, dicunt: **Wann er das 25ſte / 36ſte ꝛc. Jahr überlebet / ſo wird er alt / ſo viel über 60. 70. 80. Jahr ꝛc.** Sed abſit, vt in talibus occupemur.

CAPVT III.
De
INDOLE AFFECTVVM, QVI PERIODICI FIVNT.

EGimus capite præcedente, de affectibus *periodicis* in humano corpore obuiis, in ordine ad conſtitutionis peri-

periodicæ indolem; Hic inſpiciemus *propriam* indolem ipſorum illorum *affectuum*, qui periodos formare obſeruantur. Sunt vero horum veluti principes, *ſumma* illorum *genera* conſtituentes, *motus ſanguiferi*; & *motus* magis directe ac velut abſolute *ſpaſtici*. Licet enim etiam ipſi, quos *ſanguiferos* appellamus, nempe ad *translationes* & *eruptiones* ſanguinis inſtituti *motus*, non niſi rariſſime ſint pure *orgaſtici*, (id eſt, nuda turgida expanſione ſanguinis, perruptionem partium continentium attingentes aut perpetrantes) ſed ipſi quoque *ſpaſtici*, (id eſt, fiant, *conſtrictione tonica* ſolito maiore partium poroſarum, *eruptionis* loco oppoſitarum aut conjugatarum:) Cum tamen hi manifeſto, imo vero quaſi palpabiliter, *propter* ſanguinem, eiusque translationes & execrationes, inſtituantur; Præterea adeo diſſimulanter fiant, vt niſi magis ſollicite circumſtantias rerum perpendentibus, ne quidem indicium ſui fecerint: Illi tamen, quos nude & *abſolute ſpaſticos* appellamus, ſunt vtique non ſolum plane craſſis commotionibus & agitationibus partium conſpicui; Sed habent etiam nullam, adminimum euidentem & notoriam deſtinationem, ad perpetrandos certos motus *ſanguinis*, exceptis ſingularibus aliquando caſibus.

Ex *Hæmorrhagicis* vero motibus, affectant periodos *rariſſime* illi, qui cum qualicunque *promptitudine*, & generali progreſſus ſanguinis ad locum excretionis *συζυγία*, ſuccedere poſſunt; Cuiusmodi ſunt *narium* hæmorrhagiæ: Sed faciunt hoc, affectant, inquam, & formant periodos, illi hæmorrhagici motus, qui admodum *particulariter*, per loca pauciore concurſu *vniuerſali* inſtructa, & per ſe etiam *impeditiora*, eruptionem abſoluere neceſſe habent.

Huiusmodi ſunt *Hæmoptyſis*, *Vomitus cruentus*, *Hæmorrhoides*, *Varices*, imo *mictus cruentus*.

Quam-

Quamuis enim *Hæmorrhagiæ Narium* quoque, aliquid *Periodicum* interdum affectent, vti v. g. Rev. quidam vir in vicinia, *Sanguineo-Phlegmaticus*, valde ſpongioſi habitus, *plethoricus*, aliquot annis *menſtruas* exquiſite eruptiones ſanguinis, licet pauci ex *alterna* nare expertus eſt, ita, vt ſi hoc menſe *dextra* fluxiſſet, altera *ſiniſtra* manaret, idque alternis conſtanter per aliquot annos ita continuaret: Non tamen æque frequentia ſunt huiusmodi exempla, immenſum quantum vero rariora, quam cœterarum nominatarum ſanguinis eruptionum.

Eſt tamen inter has etiam ipſas, notabilis adhuc diuerſitas, adeo quidem vt in comparatione longe rariores ſint *Hæmoptyſes* magis *exquiſite* periodicæ, quam *Mictus* cruenti & *Hæmorrhoides*, typum talem præ ſe ferentes; & rariores adhuc periodici *Mictus* ſanginei, præ *Hæmorrhoidibus*, per certa interualla erumpentibus.

Sicut autem in *Praxi* Medica, imo *Hiſtoria Pathologico-Clinica*, eximia eſt conſideratio *Ætatis*, *ſexus*, *conſuetudinis*; Ita habent hæ circumſtantiæ, inſignem pariter vſum, in præſente negotio. In hoc enim certe *ætas*, ordinatis actuum regiminibus propior, longe plura *Periodicæ* motuum moderationis exempla ſiſtit, quam *iunior*, *alacrior*, impatientior, audacior. *Sexus* fœmininus, *Periodicis* affectuum variorum, imprimis vero *ſanguifluorum*, typis, longe magis obnoxius eſt, quam *virilis*; ob *menſtrui* cumprimis negotii ſolennem ipſis periodum. E qua quidem, ad minimum *Conſuetudo ſtatorum* conaminum ipſis obtingit. Sicuti in ipſis quoque viris, ſicubi conſuetudine aliquid *ſtati* circa *ſanguinis* euacuationes introducatur, prompte poſtea *periodicæ* commotiones horum generum ſuccedere obſeruantur: Cuius quidem rei vel ſolæ *ſcarificationes*. *V. S.*, *hirudinum* vſus repetitus, ſpecimina poſt ſeſe ſubinde trahunt.

Iuuant

Iuuant autem immenſum quantum hasce res, *Anni tempus*, cum eiusmodi aſſuefactionibus conſpirans; & *Hæreditaria diſpoſitio*, ad affectus huiusmodi in genere, omnibus ſpecialibus eorum modificationibus viam primo pendens atque ſternens.

Sanguifluorum affectuum *periodi*, vel ſequuntur *nudam* magis *Motus* concitationem; *Motus* inquam *localis*; progresſiui directi, *translatorii*: Vel *inteſtini* quoque, *orgaſtici*, nempe ſanguinis & ſeri ipſius, turgidam *expanſionem*.

Poſterioris huius generis, ſunt illæ *hæmorrhagicæ* commotiones, quæ *periodum* ſuam *Vere* vel *Autumno*, *Syrio* æſtuante, aut *bruma* rigente, capeſſunt: Quamuis *poſtremi* huius caſus, nempe *brumalium* commotionum, indoles, non tam ſanguinis *eruptiones* moliatur, quam, propter impeditiorem progreſſum, prognaſcentis lentoris ſeroſi, excusſionem, per loca atque organa ſpiritalia, *tusſi* humida, *aſthmate*, *catarrho* ſuffocativo tentet: *Priorum* vero generum molimina modo *uno* tali anni tempore, *verno*, *æſtiuo* ſeſe exerunt: Modo *binis*, verno & autumnali, verno & æſtivo.

Exempla nota ſunt, tum hæmorrhagiarum *narium*; tum *hæmorrhoidum*: Et harum quidem imprimis in corporibus de *ſanguineo* habitu plurimum participantibus; cum *ſtrictioribus*, præcipue *melancholicis*, familiarius eueniant magis exquiſite *ſtatæ*. Hæc *Vere*, & *Autumno*, *Viris*; *puerili* ætati, & huic proximis *adoleſcentiæ* initiis, magis *æſtate*, & confinibus eius, feruidioribus tempeſtatibus, euenire obſeruantur; *Adultioribus*, ipſo magis *Vere*, vel *verno* vtique tempore, quamuis etiam in *æſtiuum* ſe extendant. *Hæmorrhoides* adhuc, dictis rationibus, veluti *minus* definitæ, *Vernum* & *Autumnale* tempus, imo vero eminentiores horum temporum *tempeſtates* ſequi conſueuerunt: *Hæmoptyſis* vero, ſicut

adultæ ætati quaſi magis propria eſt, ita familiarius etiam in *vernum* tempus incidit.

Poſt modo dicta hæc *tempora*, eorumque ad alterandam ſanguinis conſiſtentiam, energiam, pro periodicis commotionibus concitandis, habent proximam in his generibus efficaciam *tempeſtatum* inſigniores mutationes; ex eodem tamen fundamento, quatenus vel *ſanguinem* magis immediate, vel propinquiore mediata efficacia, per *tonum* corporis, (ſenſu æſtus aut caloris alteratum) inſigniter alterant. Ubi videlicet non ſolum *feruida* tempeſtas, *turgeſcentiam* ſanguinis inducendo, *hæmorrhagias* reuocare ſolet; Sed etiam *horrida*, humido-frigida: Potentes etiam harum contrariarum conſtitutionum *repentinæ* alternationes ſeu *viciſſitudines*.

Præter haſce *generaliores* Periodos, eueniunt in *Hæmorrhagiarum* negotio etiam exquiſitæ, ſpecialisſimæ, *ſtatæ* prorſus, periodi; vt videlicet vel *menſtruis* ſpaciis eruptio contingat, vel *trimeſtribus*; vel alias *definitum* numerum dierum aut *ſeptimanarum*, complectentibus, quod tamen rarius eſt.

Menſtruas Periodos magis exquiſite *ſtatas*, ſeruant variæ *muliebres* pasſiones, cum fluxus menſtrui ſanguinei vitiis propiorem nexum habentes. Aut, ſi vel maxime non abſolute *ſingulis* menſibus eueniant, redeunt tamen, etiam prætermiſſo forte vno, imo altero menſe, talibus nihilo ſecius temporibus, quæ *menſtruæ* illi periodo reſpondeant, i. e. retro inſtituta computatione, in circuitum *menſtruum* omnino incidant.

Obſeruantur huius rei exempla in iuuenculis, vel ipſam eruptionem menſium vltra debitum tempus nondum expertis; vel *ſuppresſionem* eius denuo incurrentibus; Quo vtroque caſu, admodum familiares ſunt exquiſite menſtruæ

Car-

Cardialgiæ, *Anxietates*, *dolorificæ* pasſiones circa lumbos, Os ſacrum, Hypochondrium ſiniſtrum, imo circa ipſum ſinum pudoris. *Fœminis*, præſertim nuperius nuptis, *abortum*, imprimis repetito, perpesſis, nimis quam familiare eſt, ſimilem *tertia*, *quarta* vice iterum incurrere, ſeptimanis exquiſite reſpondentibus *primæ* tali vel ſecundæ periodo; Idque tanto certius, ſi etiam dictæ illæ priores abortus periordi, in *Menſtrua* tempora inciderint; Quod admodum ſolenne eſt, ſi non tam a *pathetico* aliquo, aut *violento*, accidente, *primus* abortus euenerit, ſed magis a *plethorico* ſtatu ortum traxerit.

Viris æque atque fœminis, ſolent etiam ipſæ *Hæmoptyſes* menſtruos circuitus affectare; Quemadmodum fœminis etiam aliæ eruptiones, menſium quomodocunque *vicariæ*.

Hæmorrhoides autem, vti *viris* plus quam vulgo creditur, familiares ſunt, ita ſane minime paucis *menſtruæ* fluunt: Et ſatis commode quidem, quamdiu ſaltem ordinem hunc ſuum recte ſeruant.

Spaſticorum conuulſiuorum affectuum admodum obuiæ quoque ſunt *periodi*, & quidem menſuræ cum antedictis ad minimum in genere, imo maximam partem in ſpecie, communis. Suſcitantur enim hæ quoque, tum ab anni *temporum*, tum a *tempeſtatum*, tum denique ab *animi pathematum*, vicisſitudinibus. Interim proſtant exempla, ſane ſatis frequentia, etiam exacte *menſtrui* circuitus, præcipue *lunæ phaſes* perpetuo ſectantis.

Quod ipſum quidem, nempe certior veluti nexus commotionum talium, cum *lunæ* phaſium mutationibus, conuulſiuorum affectuum familiæ ita plane proprium eſt, vt menſtruæ euacuationis *muliebris* menſura, hoc intuitu non parum differat; Quandoquidem hæc, numero-

ſisſimis exemplis, quatuor ſeptimanarum, (vel trium potius) ambitum ſatis exacte quidem ſeruare ſolet; ſed tamen minime ita iugiter *lunæ* phaſibus reſpondere, quod tales *conuulſiui* affectus, longe conſtantius atque certius faciunt.

Præter manifeſtos *ſpaſticos* affectus periodum ſequentes, obſeruantur etiam *lunares* phaſes ſequi, tum *viſus* & *auditus* hebetudines, tum tactus *Paralytodea* vitia: Tum denique ipſius *Rationis* labefactationes, veternoſæ, obliuioſæ, *deliræ:* Adeo, vt omnia talia, *creſcente*, & ad *plenitudinem* luminis ſui appropinquante luna, ſenſibiliter augeſcere atque ingrauescere ſentiantur: *Paralyticæ* vero & *hemiplecticæ* debilitationes, reuertuntur haud raro, & grauius quidem, illo imprimis *annuo* tempore, quo primo ægrum inuaſerunt.

Febrium tam breues periodi, nempe *paroxyſmi*, quam vniuerſus *ambitus* ſeu duratio, ſeruant maxime omnium exquiſitius *ſtata* ſui tempora; quorum quidem, cum notiora propemodum ſint reliqua, nempe quod *acutæ ſeptenos* dies vniuerſæ durationis ſuæ, & hinc etiam reſtitutionis, aut exitus ſane ſui euentu, ſequantur : *Paroxyſmi* etiam, vel exacte easdem horas ſeruent, quibus recurrant, vel proxime ad minimum iisdem horis, in aliis ſubiectis, (imo morbi eiusdem aliis temporibus.) anticipando, in aliis poſtponendo, redeant, quamuis tum vehementia, tum duratione ſui longe plurimum remittant: Ita libet hoc loco ſaltem illud deſignare, quod certe non ab omnibus Medicis attendi apparet, quod diuerſarum febrium, imprimis *exquiſitarum*, *paroxyſmi*, in *horas* diei *determinatas*, conſtanter incidant. Vt v. g. *tertiana*, perpetuo non ſolum *ante meridiem* paroxyſmos ſuos inſtituat, ſed imprimis circa & inter horas *ientaculi*, (imprimis in illis, qui huic asſueti

ſueti ſunt) & *prandii*; *Quartana* legitima, conſtantisſime omnium *pomeridianas* horas, tertiam, quartam a meridie, occupet; *Catarrhales* tam benigniores, exanthematicæ, petechizantes, *occaſum Solis* Vernum, paroxysmis ſuis ſequantur, nimirum *ſextam*, vel *ſeptimam* pomeridianam; *Sanguineæ*, *diluculum* æſtiuum ſolſtitiale, nempe *tertiam*, *quartam* a media nocte, horam, paroxysmo ſuo, vel primo inſultu manifeſtiore, ambiant: *Bilioſæ* veræ, a tempore matutino prouectiore, ad horas circa, & proxime poſt, *meridiem*, ſeſe exerant; ſicut imprimis *Choleriodes*, magis exacte circa ipſam *meridiem*, & immediate poſt, erumpere conſueuerunt.

Ex illis rebus, quæ adhuc magis ſecundum naturam euenientes, *periodos* tamen complent & ſectantur, meretur notari de *partus* tempore, quod illud, rebus de reliquo recte conſtitutis, vti in initium *ſeptimi ſeptenarii ſeptimanarum*, vel in *ſesqui-ſeptenum* menſem, *vndecimum* videlicet, incidit; ita ſtricte tandem illos *dies*, vltimo ſuo, ſerio niſu, inuadat, quo ſecundum *lunæ phaſin* fœminæ alias *menſes* fluxerunt.

De *Arthriticis* pathematibus, cum ſuperius iam ſufficienter mentionem fecerimus, non placet hic denuo prolixos eſſe; cum noſtra Pathologia eosdem ad *ſpaſticorum* tribum iamdudum redegerit. Rarisſimum vero hisce eſt, exquiſite *ſtata*, imprimis *brevia*, periodica tempora ſectari: Familiare vero, *æquinoctia* & *brumam* comitari.

CAPVT IV
DE PERIODORVM MVTATIONIBVS.

NOn exiguam conſiderationem mereretur tam in *Pathologica* penſitatione cauſarum, quam in *Practica*, *Diagnoſi*, *Prognoſi*, & *Therapia*, hæc, de qua titulus loquitur, *mutabilis* periodorum indoles. Eſt autem illa duplicis generis, nempe vel *periodi* ipſius, magis veluti *formaliter*; vel *affectuum*, qui periodos ſubeunt, adeoque periodorum etiam *materialiter* conſideratarum.

Priore modo, deſultant periodi, tum ratione *temporis proprii*, vt *duratione* inſigniter varient; tum ratione temporis *mutui*, vt e vagis magis *ſtatæ* fiant, aut *contra*, e *rarioribus*, *crebriores*: Tum ratione *typi*, vt alia quidem vice *lenius*, alia *inſolentius* ſeſe gerant.

Poſteriore modo mutatur ipſe omnino genius *materialis*, imo ſæpe numero *vniuerſus*, nempe ſpecifice etiam *formalis*, eiusmodi affectuum. Vt videlicet in vnius affectus locum, ſpecie (ad minimum apparenter & iuxta vulgatas acceptiones,) plane *alius*, ſuccedat; Ratione vero *periodi*, hic etiam *ſuccedaneus* affectus, *periodicus* utique ſit; Sed tamen *diuerſam* periodi ſeriem atque indolem præ ſeſe ferat.

Periodorum, *duratione* ſui variantium, & mutationes ſubeuntium, varia in praxi obueniunt exempla; Communisſiue vero talia, vt e periodis primo leuibus & *breuibus* fiant diuturniores atque contumaciores: Vnde in muliebribus imprimis affectibus, quotidianum eſt audire illam formulam: Sie hätten von langer Zeit hero wohl einige

einige Anstösse gespühret/ wären aber so leidlich gewesen/ daß sie es nicht geachtet; gemeynet/ es käme von andern zufälligen Ursachen; hätten aber je mehr und mehr wahrgenommen/ wie sie sich auch immer aufs beste in acht nähmen/ und gar keinen Schein äusserlicher zufälliger Veranlassung angeben könten/ der Zufall nichts desto weniger eben so wohl sich geäussert/ ja immer ie mehr überhand genommen: Hätten nimmermehr gemeynet/ daß von so geringem Anfang/ es zu einer so bedencklichen Folge ausschlagen können: Quod vltimum tanto magis emphatice quiritari ſolent, quando ipſis nexus ille harum rerum, non magis in memoriam, quam in intellectum, vocatur.

Ratione *mutui* reſpectus ad tempus, nihil ſolennius eſt, quam periodicos affectus obſeruare, qui e *rarioribus* ſui recurſibus, indies magis magisque *increbeſcant*, & breuiore intercedente tempore reuertantur. Quamuis autem rarius ſit, contingit tamen etiam ſubinde, vt affectus aliqui periodici, vel *materia* ſenſim deficiente, vel *energia* atque ſenſibilitate fatiſcente, *rarius* impoſterum & longioribus interuallis reuertantur: Quamuis admodum ſolenniter, ſi debita adhibeatur attentio, illa, notanter a nobis vltimo loco allegata, *mutatio totius affectus* ibi ſubeſſe deprehendatur.

Cæterum valet vtique hic etiam, illa ratio talium mutationum, vt quo magis *increbescunt* periodi, eo magis etiam *in futurum* frequentiam ſuam augere ſoleant: Et imprimis illud incommodum ſecum adferre & inferre, vt, cum alias *occaſionales* cauſas, non adeo cito ſecutæ eſſent, extra definitum ſuum tempus: Iam etiam magis magisque *leuiter*, indefinitis quoque temporibus, a *leuioribus* incitamentis prouocentur.

Valet enim in his rebus, ſi vsquam, & exſerit ſeſe effica-

ficacia *Consuetudinis;* vt, quo sæpius eandem *Motus* speciem exercuit Natura, eo *promtius* non solum eundem perpetrare denuo sibi proponat, sed etiam repetito, & imprimis sæpius, vsu organorum, & his ipsis ad hanc rem hinc inducta *agilitate* atque *habilitate*, imposterum *facilius* totum effectum exsequatur.

Meretur autem omnino hæc ipsa res, haud superficiariam considerationem, vtpote ad *Theoriam* totius negotii *periodicarum* commotionum, non parum certe lucis promittens. Sicut enim *Motuum* imprimis fieri *consuetudines*, circumspectius pensitantibus non potest non dispalescere; Ita, cum in *periodicis* affectibus, *Motuum* præcipua sit ratio & vniuersa energia: considerari vtique tanto intentius hinc debet, hæc ipsa circumstantia, quod periodici affectus non solum *consuetudinem* facile subeant, sed etiam *mutationes* promtiores, ex eodem fundamento, tandem admittant, & consequantur.

Mutatio tandem *affectuum* periodicorum, est vtique res in Praxi neque infrequens, neque exiguam considerationem promerens ac deposcens.

Contingit enim sæpissime, vt v. g. *Hæmorrhagiæ narium*, alias periodice consuetæ, (modo *generalioribus*, modo *statis* specialibus recursibus) imposterum vel plane cessent, vel *rarissime*, & longe *parcius*, quam sub frequentibus illis periodis solebant, reuertantur. Interim succedunt, in aliis *pectoris*, in aliis vniuersi *thoracis*, in aliis *tergi* superioris, in aliis *inferioris*, in aliis *Hypochondriorum*, in aliis ipsius adhuc *capitis*, varia Pathemata, antea incognita; Nec ipsa tamen etiam *stataria*, sed pariter *recursus* formantia, modo *vagos* & magis occasionales; modo *statos*, aut sane illi genio appropinquantes.

Ita, vbi tota *Ætatis* variatio subit, nihil communius est,

eſt, quam tales *mutationes* periodicarum *Excretionum & commotionum, dolorificos* affectus modo comitantium, modo formantium. Vt, cum prægreſſo aliquo tempore in hac illa *parte*, hac illa *commotione*, aut *excretione*, ſeſe exeruiſſet; ſuccedente alia *ætate*, & diuerſam *excretionem*, & diuerſam *commotionem*, & diuerſum *locum*, modo moliri, modo aggredi, & exequi deprehendatur: Quæ quidem res in materialibus ſui circumſtantiis, illum ordinem atque rationem ſequi ac ſeruare ſolet, quæ Diſſertatione de *Fundamentis morborum ætatum*, pluribus indigitata eſt: quæ etiam hactenus non paucis rerum ſuarum curioſius ſatagentibus Practicis, probata eſt.

Facit ſane hæc ipſa, dicto loco jam prolixius inſinuata diſtributio, non magis *Theoretica*, quam *Practica*, vt præſente loco exactiorem catalogum talium affectuum *ſuccedaneorum* texere ſuperſedeamus: Interim nullo vtique modo prætermitti debuit tractatio, huius non *veræ* magis, quam conſideratu dignisſimæ circumſtantiæ *Periodicorum* noſtrorum affectuum, quod videlicet *mutationibus* quibusdam obnoxii ſint; Et talibus quidem, quæ omni modo conſiderationem *Theoriæ*, & attentionem *Praxeωs* Medicæ, mereantur.

Merito tamen & ſummo iure repetimus, illam horum affectuum ſenſim euenientem mutationem, quæ *Conſuetudini* ſenſim inualeſcenti innititur; Quandoquidem eius non ſolum in *Praxi* maxima eſt vis, ſed etiam inſignis relatio ad *Theoriam*.

CAPVT V.

DISQVISITIO DE CAVSIS PERIODORVM.

CVm hactenus historiam tractauerimus, indolis, tam ipsarum periodorum, quam affectuum, qui periodos amant; accessum iam facimus, ad *comparationem* harum rerum inter se inuicem, & scrutinium *respectus* & *nexus* causalis totius negotii; Vbi in ipso limine ob oculos ponendum venit, quod in consideratione corporis & *œconomiæ animalis*, duo vtique quasi *suprema* genera obiectorum pensitationi occurrant, *Materia*, & *Motus*, id est, vti Veteres appellarunt, *partes* & *actiones*.

Quid & quantum turbarum in *Medicam*, *Viuentis* & *organici* corporis, considerationem, intulerit, absolute *materialis* corporis contemplatio, sine debito respectu ad *Motus* eius; Et quidem *motus* ad certum *finem* directos atque deductos, sub intricatione mechanicorum actuum, cum organicis: Illud sane non magis odiosum, quam tœdiosum est, prolixius explanare. Hoc euidenter notum est, quod ex his ὑπεροράμασιν prodierit, illa a re *scientifica* absolute alienissima assertio: *Quod hæc omnia ita fiant & sese habeant, sine vllo alio respectu, aut exquisita, nedum necessaria, destinatione ad certum finem, sed absolute & pure quia Deus ita voluerit.* Quod quidem, nempe vnicum hunc atque *absolutum* respectum, ne quidem in dubium vocare operæ precium videretur, nisi maximum inde præiudicium ipsis *fundamentis Medicis*, Pathologico-Practicis, nasceretur; vt videlicet Medicus nunquam hinc aliquem rationalem con-

conceptum sibi formare possit, quomodo illæ res, quæ non nisi per *absolutum beneplacitum*, sine alio aliquo *causali*, Organico-Mechanico, *nexu* atque *scopo*, ita fiant, non solum tam varie, & *friuole* quidem, promtissimeque alterentur atque peruertantur; Sed etiam ad grauissimum detrimentum totius œconomiæ, euidenti vtique tunc *Organica* connexione, vergant atque pergant: Imo vero ipsius Animæ *rationalis* actiones atque functiones, non minus immediate turbent, fallant, destituant; quam ab Animæ mere *ratiocinalibus* inconsideratis intentionibus, hæ ipsæ *mechanicæ* juxta communem opinionem, nostra vero sententia *Mechanico-organicæ*, actiones, perturbantur & peruertuntur.

Breuissimis, hæret totius Theoriæ harum rerum offendiculum, in eo, quod omnis contemplatio, iuxta crassiorem humani intellectus applicationem, adhibeatur soli *Materiæ*, eiusque *corporalibus* intrinsecis affectionibus, *magnitudini*, *figuræ*, *numero*; *Motus* vero, cum *affectionibus* ipsi præcipue eadem ratione *intrinsecis*, nempe *tempore*, *gradu*, *tenore* aut rythmo, & harum rerum *proportione*, non magis ad *subiectum* immediatum, *in quo* agit, quam ad *obiectum*, *in quod* agit; quod hæc, inquam, de *Motu*, incredibili quodam neglectu atque obliuione hactenus tractentur. Vnde vtique nihil expeditius esse potest, quam illud hodiernum solenne decisum: quod cuilibet corpusculo, imo etiam structæ maiori parti, *proprius quidam motus*, impositus, iniunctus, ingenitus sit, quem sine aliquo *scopo* aut destinato *fine*, ita celebret atque prosequatur: Ex mero *accidentali* vero concursu plurium talium rerum, tandem aliqui tales *socii effectus* resultent, qui ad illa organa, eorumque actiuitatem sociam, commode referri queant *a posteriori*: licet *a priori*, res non ita se habeat,

 quod

quod nempe tales partes proprie tali vltimo fini *destinatæ* fuerint, sed potius, vt puræ *absolutæ* machinæ, *ex se*, *per se*, & *pro se*, hæc omnia exequantur.

Erit, speramus, olim tempus, quo ingenia talibus rebus intelligendis idonea, intricationes hasce solidius enodabunt, & hoc solidum vtique & præcipue θεωρητον fundamentum Scientiæ medicæ, tam *Physiologicæ*, quam *Pathologicæ*, imo *Therapeuticæ*, stabilitum dabunt.

Illud vero dissimulare non possumus, quod quamdiu hæc ipsa res nondum sufficienter statuminata est, etiam nostro præsenti proposito, non parum lucis decedat. Agemus interim quantum poterimus.

Quemadmodum *Periodos*, de quibus nobis est sermo, proprie *temporis* affectionem esse, in propatulo est; Ita iubemus attendere, quod etiam illæ nostri propositi res, de quibus dicimus, quod *periodi* in ipsas cadant, sint, non *materiæ* in corpore immediatæ, sed *Motus* talium rerum: Et quidem longe rarissime Motus *mechanici* puriores; communissime vero *organici*, aut *Mechanico - organici*. Vt hi termini de substrata materia tanto exactius intelligantur, damus exemplum excretionis muliebris *menstruæ*. Mulier talis, quam numerosis, imo modo non innumeris occasionibus (imprimis plebeiæ, diurnas operas, & graues sæpe labores pro mercede præstantes) exagitat, *turgefacit*, expandit, motu intestino & locali, sanguinem, qui omnibus respectibus est verus sanguinis *motus nude mechanicus*; Interim nulla hinc resultat eruptio sanguinis *vterina*, nisi longe specialissimi compressionum *abdominis*, in specie, sint casus: Minime omnium vero oritur hinc talis exoneratio, talis, quæ in *menstruæ* euacuationis locum succedere soleat aut idonea sit, & veram *menstruam periodum* imposterum ita translocare possit. Econtra *quietissima* etiam,

iam, & nullum minimum purioris mechanici motus incitamentum committens aut experiens, *fœmina* nanciscitur nihilo secius, iusta illa temporis periodo *menstrua* reuertente, non *expansionem* sanguinis *circa* vterum, sed *compressionem* sanguinis *versus* vterum e reliquis partibus, imprimis *periphericis*, corporis: Adeo, vt *pallescens*, *frigescens*, *marcescens*, *languescens* (*tensiua* quadam fatigatione) externus habitus, præsentis talis constitutionis communissimum indicium faciat.

Interim illud vtique nemo dissimulauerit, quod eiusmodi etiam *materiales* mechanicæ commotiones humorum, verioribus periodis prouocandis, tunc maxime ansam suppeditare possint ac soleant, si in *tempora* earundem incidant: At vero quotidiana experientia myriadibus exemplorum demonstrat, quod inter vsitatas periodos, non modo similes tales commotiones, quales fortassis in periodum incidendo, illam exasperant, sed innumeris vicibus longe *fortiores*, affectum extra periodicum tempus *minime* suscitent aut producant: Cum tamen ille, si tempus illud redit, etiam *tranquillis* omnibus reliquis rebus erumpat.

Vt itaque iuxta hanc fundamentalem circumstantiam, statim distinctionem aliquam in rem nostram instituamus, sunt affectus periodici alii magis a *materiæ constitutione* ad periodicum motum prolabentes; Et iterum alii ex aduerso, *soli motui*, magis quam vlli materiæ conditioni, superstructi.

Imo ἀκριβεστάτως rem exequendo, sunt etiam hi *posteriores* iterum duorum generum; ita vt alii quidem qualemcunque *respectum ad materiam* habeant: alii non modo nullum prorsus euidentem, imo ne probabilem quidem, sed reuera probabilissime absolute nullum talem respectum

obferuent; fed potius fola veluti recordatione, & in præfens, fictione, priftinarum materialium circumftantiarum, ad commotiones fuas concitentur.

Harum rerum fingularum *rationes* fi perquirendæ veniant, ante omnia vtique præcipua ratio habenda erit illarum caufarum, quæ magis abfolute & ordinarie, motuum eiusmodi fiue *humoralium*, excretoriorum, five *fpafticorum*, occafiones aut fomites fuppeditare obferuantur. Quo intuitu primo vtique loco confideranda venit *proportio* iuftæ *menfuræ* fanguinis, & debiti prouentus eiusdem. Siquidem *menfura* fanguinis notabiliter *excedens*, non folum *turgefcentia* alicunde ipfi conciliata, *mechanico* motu eruptiones perpetrare *poffet*; Aut potius *infarctibus*, *ftafibus*, *inflammationibus*, *corruptionibus* formandis materiam fuppeditare frequentisfime *folet*: Sed decet tanto magis & neceffe eft, variis huiusmodi malis atque incommodis potius conueniente quodam iufto moderamine atque molimine motuum, *promotione*, *dimotione*, *remotione*, *emotione*, ita fubuenire, vt non tantum fpecialis *effectus* & euentus periculofus hac ratione tollatur: Sed etiam caufa illa immanens, & perpetuo tali periculo fomitem præbens, vt maximopere conuenit, fubtrahatur & *in anteceffum* remoueatur.

Ad hunc fane apicem collineant omnia, quæcunque in hoc negotio dici poffunt efficaciter, atque debent. Cum enim *mechanicus* motus in hoc negotio abfolute contrarietur experientiæ; Nihil vtique reliquum manet rationaliter, quam *organica* motuum horum & *intentio*, & *directio* atque adminiftratio, & ipfa tandem *executio*. Id eft: Si eruptiones fanguinis fierent nude *mechanice*, propter eius *abundantiam*, abundantis vehementem *turgefcentiam*, & ita pure *pasfivam* vaforum *perruptionem*; Deberet hic effectus

toties

toties vtique ſequi, quoties *turgefactiones* eiusmodi, imprimis importuniores oriuntur. Sed reclamat quotidiana, & quidem in *innumeris* exemplis, Experientia; vtpote manifeſtisſime demonſtrans, quod etiam euidenter *abundantis* ſanguinis, huiusmodi eruptiones oppido quam raræ ſint: Ad minimum immenſo numero rarius occaſiones tales manifeſtas, ſequantur, quam aliis numeroſisſimis vicibus *non* ſequantur. Econtra monſtrat vtique eadem triuialis experientia, quod *excretiones* tales *ſanguineæ*, longe frequentisſime eueniant *ſine* omni ſenſibili ſiue a locali, ſiue ab inteſtino motu, *turgeſcentia*, ſed prorſus & exquiſite *tacite*, exſerentibus ſeſe potius manifeſtisſimis ſignis, imo effectibus, alibi quidem, quin longe lateque ſuſceptarum *compresſionum* atque reſtrictionum, ad ſolum vero locum expulſionis ſuſceptarum *congeſtionum*; Ita vt illa decantata pro *Mechanica* generali huius negotii cauſa, *turgeſcentia* ſanguinis, per totum reliquum corpus nusquam compareat, imo *defectus* potius eiusdem, e vaſorum atque partium poroſarum *inanitione* atque *ſubſidentia*, concludi deberet, & nouis immenſis implicationibus (quæ vtique harum rerum peritioribus commentum *localium fermentorum* pepererunt) pro *particulari* tali *turgeſcentia*, ſupponenda, anſam præberent.

Vnde quidem immenſum quantum vtique *probabilior*, imo vero *euidentior*, manet altera illa ſententia, quod nimirum hæ commotiones, ad emotionem, ſicuti iuſtæ *deſtinationi quadrantibus*, ita etiam eidem *dicatis*, directionibus & executionibus, adminiſtrentur.

Profecto enim nulla alia conceptui *rationali* quoquo modo reſpondens harum rerum *Theoria* remanet, niſi ſequens: In præſente ſanguinis eximia abundantia euenit eiusdem *excusſio* ſeu *eruptio*; rarius a *mechanicis* cauſis, turgefa-

gefactione, viarum immediata *perruptione*: Longisſime vero frequentius, a nulla huiusmodi conſpicua circumſtantia, ſed potius ab euidentibus atque manifeſtisſimis maximæ partis corporis *conſtrictionibus* & *exinanitionibus*, ſolius vero iſtius, per quam ipſe exitus perficitur, dilatatione: Ergo ſane non fit a tali orgaſtica expanſione, ſed potius ab alia quacunque cauſa.

Interim depletionis talis euentus, in tali humorum horum periculoſa abundantia, eſt vtique actus, ſecundum ſanam rationem, ad præſentes hasce circumſtantias apprime quadrans & conueniens; *Præſeruationi* atque *conſeruationi* corporis quam maxime vtilis; Imo ad tutiorem, & *vere ſanum* corporis ſtatum, reſtituendum & præſeruandum (i. e. ſi corpus exquiſite ſanum dici & eſſe debeat,) *neceſſarius*: Ergo ſane longe probabilisſimum eſt, rem non ſolum reali tali *fini* debitam, ſed & eidem exquiſite *reſpondentem*, *organice* potius, i. e. cum actuali *intentione* ad hunc effectum, & iuſta ad eundem proſequendum proſecutione & *adminiſtratione*, perpetrari.

Quemadmodum autem hæc res, vel ita in genere, cordatæ atque ſolidæ comparationis compoti penſitationi, non poteſt non euidens atque conſpicua eſſe; Ita firmat illam atque illuſtrat tanto magis, negotium noſtrum præſens, *ſtatorum* temporum & *certarum* periodorum, quibus eiusmodi motus euenire ſolent. Siquidem hæc potisſimum veritas Experientiæ, eſt inſuperabile illud argumentum, quod hactenus vniuerſas & ſingulas præfigurationes, de *cauſis* eruptionum ſanguinis *mechanicis*, in ſolidum irritas reddidit.

Ita enim illis, qui *ſtatarum* hæmorrhagiarum, ſicut etiam *ſtatorum paroxyſmorum* febrilium cauſam, in determinata exactisſima *menſura* abundantiæ ſanguinis (aut *materiæ*

teriæ febrilis) ponere ſuſcipiunt, craſſiſſimis in contrarium phœnomenis, reclamat experientia; Dum non ſolum *a priori*, longe diſpares ſanguinis depletiones, diuerſis periodis contingunt, quas proxima periodus, propterea proportionata *anticipatione*, aut *poſtpoſitione*, imo ſubinde iuſtiſſima *emanſione*, exæquare deberet: Sed infringit hoc ipſum etiam euentus talium rerum *a poſteriori*, cum *Hæmorrhagiæ* quidem *Periodicæ*, fere neque *citius*, neque *copioſius* recurrere ſoleant, quam vbi ipſæ prægreſſæ, *copioſius* atque *inſolentius* effuſæ fuerunt: Sed etiam *paroxyſmi* febriles, licet *exquiſitiſſimam* periodum ſeruantes, imo *tanto certius*, quo magis hoc faciunt, & *impetu* ſuo, & *duratione*, indies largiſſime *decreſcant*: Quod impoſſibile eſſet *per hypotheſin*; ſi nempe exquiſite antiqua *quantitas*, talis imprimis præter naturalis humoris, in cauſa eſſe deberet.

Alii, qui ab *acrimonia* ſanguinis, modo vaſa *erodente*, modo partes *ſtimulante*, Hæmorrhagiarum commotionem deducere ſuſcipiunt; Item alii, qui a *fermentis* & *turgeſcentiis*, rem repetunt: Iterum alii, qui ab *obſtructionibus* pure *mechanice* hæc arceſſunt &c. recte quidem faciunt, quod hoc phænomenon, nempe *ſtatam periodum* ſanguinis eruptionibus valde familiarem, curioſe *reticeant atque prætereant*: Cum vero res hæc multo *notior* ſit, quam vt *poſſit*, & Theoria *Pathologico-Therapeutica* dignior, quam vt *debeat* diſſimulari: Male certe conſulunt, & ſibi, & Medicæ rei, quicunque has & ſimiles opiniones in medium producunt, cum circumſtantiis adeo *ſolennibus*, & ab hoc negotio *inſeparabilibus*, non conciliandas. Vtique enim nulli vnquam conceptui quadrabit in allegatis opinionibus, hoc phænomenon, quomodo non, niſi *certis temporum ſpaciis*, *acrimonia*, *turgeſcentia*, *obſtructio*, vel prouenire poſſit, ſeu generari, vel agere aut in actum deduci: Illo vero præciſe tempore, non poſſit modo, ſed *non poſſit non*, generari & actuari.

 Sicut

Sicut enim omnia talia, non solum *in se* considerata, *absolute* nullam rationem ad *tempus* habere aut subire, omni homini rationis exercitii compoti, euidens esse necesse est; Ita auget in præsentibus casibus, tanto magis alienationis harum rerum mutuæ, euidentiam, illud Phænomenon, quod *animi pathemata*, actus vndiquaque *incorporei*, commotiones hasce, non solum euidenter, sed communissime plane *eminenter*, alterare, & modo *anticipando* suscitare periodos, nondum æque instantes; Modo nuperrime absolutas, denuo *reuocare* : modo plane alieno, intermedio, tempore, *euocare* deprehendantur : Et hoc vniuersum, non solum æquali, sed & sæpenumero longe maiore violentia, quam *nuper*, aut *iusta* periodo, (vbi nempe *ex hypothesi*, supposita illa quantitas & qualitas materiæ, iuxta hos ita actiuæ, *prouentum* suum demum nancisci debuisset) factum erat, aut fieri solebat.

Vnde longe probabilius, non solum conceptui, sed vniuersis rei circumstantiis magis consentaneum, arbitramur, agnoscere potius in hisce negotiis, & *intentionem* aliquam, & *directionem* actuum illi conuenientem.

Qua quidem agnita & admissa, nulla difficultas erit, quin liceat ab illo *Agente*, quod tum *propter finem*, tum *proportionate ad finem*, agere possit, etiam *agnitionem*, *discretionem*, & *definitionem* seu *determinatam* comprehensionem, *Temporis*, expectare.

Est itaque nostra de hoc negotio sententia sequens, vt negotium *Periodici* successus, attribuamus illi *Agenti*, quod non solum ipsum *actum*, ad omnem humanum conceptum, *incorporeum*, corpori organico inducit, nempe MOTVM; sed illum etiam, secundum *affectiones* ipsi (*motui*) intrinsecas & *essentiales*, *tempus*, *gradum* absolutum seu *vigorem*, & respectiuum seu *proportionem* ad organa, & ad *finem*, tanto

magis

magis certo administrat, quanto magis hæ affectiones, priores ad minimum, ab ipso *motu* inseparabiles sunt.

Cum enim *Periodi*, non saltem *temporis* mensura sint, sed etiam illud ipsum, quod in nostro negotio periodos has format & subit, *Motus* omnino sint: Nihil aliud iusta subsumtione hinc confici posse manifestum est, quam quod idem *Agens*, quod *Motum* præstat, præstet illum etiam non solum *in tempore*, in *aliquo* tempore, in *certo* tempore, sed etiam in *determinate certo* tempore: Itaque tanto magis, cum Motus talis minime *tumultuarius*, absolute *frustraneus*, omni *fine* destitutus, existat: Sed omnino, *primis* præcipue sui *actibus* & *temporibus*, euidentem *finem*, imo vtilem *intentionem* habere, satis compareat.

Quantumuis autem nostra præsens tractatio iam non ferat, multo minus autem inferat, determinare, qualenam sit illud *Agens*; Ita sufficit tamen, ad quæstionem: *An sit*, pure affirmatiue asserendam, prouocare, ad iustum atque circumspectum examen totius *Oeconomiæ Vitalis*, non solum absolute in se consideratæ: Vbi omnia propter illos *fines*, qui in singulis organis principalioribus, sequuntur, & propter illum *finem*, qui ex omnium horum socio effectu resultat, nempe *generalem* vniformem *conseruationem* vitalem, fieri, nemo fuerit, qui *a posteriori* dubitet; Ita adhuc minus quisquam in hunc diem comparuit, qui alium vllum *finem*, propter quem hæc omnia fierent, vel in suspitionem adducere potuerit. Hic vero finis, propter quem hæc omnia fiunt, certissimæ & demonstratiue euidentis *necessitatis* est *a priori*: Nempe: si *Anima rationalis esse* & *agere* debeat, quicquid *est & agit*, (quantum homines de ipsa certo percipimus) *a priori* vtique necessarium est, vt & habeat *talia* Organa, tale *Organicum* corpus: Et illud etiam *conseruatione*, qua indiget, ita sospitet & sustentet,

tet, vt actionibus ipsius (Animæ,) & *habitui* illarum, sufficiat. Vid. *Diss. de Febris in Genere Pathologia*, Thes. I.

Capvt VI.

EXPLICATIO SENTENTIAE NOSTRAE

DIximus modo in genere, quid sentiamus de Periodorum ratione *in genere*; Subiungemus magis explicite sententiam nostram, de ratione Periodorum etiam secundum *speciales*, aut *subalternas* adminimum sui circumstantias.

Primo, agnoscimus Periodos non tam pro *Materiæ*, *Physico-Mechanica* quacunque affectione, aut *tali* eius effectu; sed pro solius *Motus* aliquo modo, siue *typo*.

Secundo, cum tamen omnem *Motum* in corporis œconomia, ordinarie (etiam contra res *præter naturam*) fieri obseruemus *propter* materiam, & *proportionate* iuxta eius conditiones; Non dubitamus, quin etiam ipsa conditio *materiæ*, ad *prouocandum* motum ipsum, & quidem motum plus minus *proportionatum*, plurimum faciat atque possit: Non tamen *Physice*.

Tertio, cum vero motus *propter* materiam suscipiantur, etiam primitus iusta aliqua *Physico-Morali* proportione (*tales* motus *propter* certam destinationem *tali* materiæ quadrantem) *Motus* vero multis modis ad *consuetudinem* subeundam procliues existant:

Agnoscimus hinc, *quarto*, oriri Periodos *determinatas* & maxime, speciales a *consuetudine*.

Quæ nimirum quinto, admodum *statis* mensuris *horarum*, *dierum*, *mensium*, (& quidem non solum *lunarium*, sed *trium* septimanarum, *quartam* Periodicam habentium, vid. *Programma* huius *Dissert.*) aut *vagis* quidem Periodis,

sed

ſed nudorum *animi Pathematum* euentui reſpondentibus, comprehenduntur.

Vnde *ſexto*, e talibus, a *materiæ* commercio & qualicunque corporea alteratione, prorſus alienis motuum periodis, tandem firmiter concludimus, quod tales *ſpeciales* Periodi, potius a quacunque *a priori* nobis vtique adhuc (& fortaſſis etiam impoſterum) imperſcrutabili Idea, ipſi *Mouenti*, a priori impreſſa, dependeant; quam a *reciproca* determinata *actione* aut reſtrictione *actiua materiarum* in Motus.

Cuius rei, *ſeptimo*, propemodum dicerem *innumeras* habemus demonſtrationes *a poſteriori* ſ. Exempla, quæ omnia eo conſpirant, quod affectus quidem materialiter absolute iidem in periodicis ſui mutationibus, numeroſas alterationes atque variationes, ſubeant non ſolum velut ex *incognitis*, ſed etiam conſpicuis *friuolis* quibuslibet, non realibus, ſed *imaginariis*, *animi*, alterationibus: Sed etiam e conuerſo, *patheticæ* tales, animi *a priori*, & friuolæ ſæpenumero, alterationes, quomodocunque tandem conſtitutis illis *materialibus* conditionibus, præſentisſimas Periodorum mutationes efficiant: Et quidem non ſolum in ipſis etiam admodum *ſtatis*; Sed tanto magis in inconſtantibus atque *vagis*, periodis.

Cæterum valde familiaria eſſe aſſuefactionis huiusmodi, veluti pure arbitrariæ, exempla, dilucescit & notisſimum eſt ex ipſo *ſomno meridiano*, ſemel aut bis admiſſo: Qui deinde *ſtato tempore* ſequentibus pluribus diebus, adeo ſolenniter recurrit, vt difficulter ab illo ſibi temperare valeant oculi; imo ſi negligatur, tædium inſigne, & non ita raro ipſius concoctionis aliqua vitia, inde ſubnaſcantur. Simile quid notum eſt, de *ſtatis* horis *euigilandi*, *ientandi*, imo *ventris onus* deponendi, per nudam conſuetudinem determinatis: In quibus omnibus, nulla penitus cuiuscunque *materialis* circumſtantiæ ſuſpicio, locum habere poteſt.

CAPUT VII.
PRACTICA PERIODORUM CONSIDERATIO

CUm ſpeculationes, quae in *Praxi* Medica uſum non habent, Medico indignæ ſint; cauendum nobis, ne & noſtra praeſens tractatio in illam culpam prolapſa videatur, ut vel pure *ſpeculatiua*, vel in ſpeculationes nudas, & *opinionem* meram deſinens, cenſeatur.

Quod vero hoc non faciat, vt demonſtremus, ſumimus nobis ſequentes propoſitiones, quibus tanquã argumentis, & *veritatem* & *vtilitatem* eius in *Praxi*, comprobemus.

(1) *Periodici affectus, differunt plurimum a ſimplicibus, eiusdem de reliquo generis.*

Tanti momenti eſt haec obſeruatio in *Praxi*, ut ſi animus ad illam minus aduertatur, ſæpe numero & *patiens* de reſtitutione, & *Medicus* de exiſtimatione ſua, non parum periclitetur. *Patiens* quidem, ſi morbo, magis per *motuum aſſuetudinem*, quam per *materiæ* quantitatem aut qualitatem, inſolenti, ex peruerſa hypotheſi, fortibus & copioſis *euacuantibus*, *alterantibus*, *præcipitantibus*, *acrimonias inuertentibus*, *vellicationes* ſiſtentibus, &c. obuiam tenditur, & uniuerſa remedia *materiæ* opponuntur, quae rotas machinæ ita perverſe impellat: Cum illa vel *nulla* ſæpe ſit, vel ſane has *Motuum* exagitationes, *Phyſica* illa ſui efficacia, minime omnium celebret. *Medicus* ſæpenumero opinionem de peritia ſua ambiguam reddit, ſi morbum talem recurrentem, ex indole talis generis ſimplici, pro leviore, facile ceſſuro, nihil in receſſu habente, declarat; ſed impar deinde illi compeſcendo, ad odioſas illas, quamvis admodum hodie familiares, formulas confugere cogitur: Ich kan mich nicht in Ihre Kranckheit / oder in Ihre Natur ſchicken;

cken; wer solte meynen / daß ein so geringer affect sich so wiederspänstig bezeigen solte: Es ist ein *simplex* affectus *hysfericus*, *Colicus*, es sind bloße Flüße / und gleichwohl sind diese und diese hefftige Zufälle dazu gekommen / &c. Ubi sane attentioribus Practicis derisui esse possent, si schedulas e Pharmacopolio præmonstrent, quod patienti nihil *forte* aut *vehemens* præscriptum sit, sed *Tartari Emetici*, *mitis* etiam comperti, non nisi gran. unum & semis: Vel *resinæ Gialappæ*, gr. 5. 6. A quibus sane minime potuisse tantas commotiones directe subsequi: In culpa sine dubio esse *salia scorbutica*, quae lenem & insontem stimulationem medicamenti, efferis orgasmis & seditioso tumultu, polluerint, &c.

Cum e contra, qui intelligit, quod *Periodicus* talis affectus, in *Motuum* cumprimis *promtitudine* positus, etiam leues *provocationes* effuse sequatur, potius *placide* atque modeste, solum *contemperare* materiam quantulam & qualemcunque, & *lenire* magis, quam cohibere aut obtundere *motus*, cordi habeat: Quibus sane rebus prouide administratis, breuissimo tempore longe antegreditur, diuersa illa tentamina, & præcipites per initia pollicitationes, contrariam viam insistentium.

2. *Præcipua differentia consistit, in quantitate & qualitate causae materialis, ἐπιγένεσι Symptomatum insolitorum, contumacia aduersus medicamenta communia, & magis magisque etiam aduersus ipsa nuperius proficua, in specie opiata.*

Sane vero, si hanc propositionem exemplis illustrare atque confirmare luberet, pluribus, quam quae hucusque consumsimus, foliis opus foret; sed cum prolixitas non placeat, commendamus asserti veritatem ipsi experientiæ. Id vnum de *Opiatis* annotantes, quod illa quidem in patientibus horum generum, qui Opio nondum decepti sunt, *prima* forte vice, sæpe miraculi instar opem ferant; si nihil aliud, ad minimum per *vnam* vel alteram *noctem*: si vero re-

cur-

currentibus, (quod quidem fere tanto *promtius* faciunt:) *iterum*, aut *tertia vice* offerantnr, fatiſcit arcani energia. Vnde quidem ſinceriores tunc temporis *genium* ſolum, ſiue *Morbi*, ſiue Idioſyncraſiæ *patientis*, mirantur: Audaciores vero *doſes* Opii *augendo*, laudem efficaciſſimorum Arcanorum quidem tuentur; Sed preſſo pede ſequentes, & his artibus introductas, *Cachexias*, *Tumores*, *Hydropes*, *Hecticas*, *Paralyſes*, *Apoplexias*, aut *noua* & *inſolita* morbi degenerantis *ſchemata*, eidem laudi ſibi ducere, aut ab illis etiam patientes, illa *præſentanea* medicatione in integrum reſtituere, non facile in ſe ſuſceperint. Medicum ſcientiæ atq; conſcientiæ ſuæ ſolicitum, ab huiusmodi auſis alienum fore, pro certo habemus.

3. *Periodici affectus efficacius præſeruantur, aut ad minimum præſeruatione miteſcunt, quam in ipſis demum inſultibus, curantur: Vix vnquam vero in vniuerſum, ſolide, percurantur: niſi in iunioribus.*

Praeſeruatio, cum in *cauſarum* ablatione conſiſtat, non modo certũ eſt *a priori*, nihil hic effectum iri ſi *cauſarum* vera notitia deficiat: Sed confirmat tanto magis experientia *a poſteriori*, dum immenſum quam communiores ſunt affectuum talium vel *exacerbationes*, vel *deprauationes*, quam *fidæ* mitigationes, *prolatationes*, *placationes*, nedum *percurationes*. Notanda hic μετάβασις ex vna *ſpecie* in alteram, manente tamen *genere*, quæ res Medicum minus peritum, ſed non ipſum patientem fallere poteſt: de quo cap. IV.

4. *Periodicis affectibus inueteratis, & friuolas quaslibet, imprimis Pathe ticas, occaſiones magis, quam cauſas ſectantibus, in Paroxyſmis cura, quae ſimplici affectui quadret, alieniſſima eſt; Narcoſis ſuſpectiſſima; ſola generalis contemperatio, analepſis, & quantum arte licet, Medica & Ethica, intentionis auocatio ad acceptiora, ſeu exhilaratio placida, plurimum poteſt: Præſeruatio tam phyſicarum, quam moralium cauſarum, omnia.*

Fluunt hæc ex antedictis; Placuit tamen denuo in vnum colligere: Ad minimum propter iuniores, & vbi quæſo harum rerũ vti neceſſe eſt ſatis gnaros reddendos, praxeos alumnos. Sane enim in hac re, ſi vsquam, valet illud perſpicaciſſimi Senecæ:

Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur.

S. D. G.